

Etionem *ambiguitate*, non *falsitate* contigisse, scribit Hieronymus. Propheta enim non loquitur de mendacio vel errore in doctrina, aut de scelere in vita: sed de *Munere Prophetico*, multis exposito difficultatibus & injuriis, quas in textu recenser, suntque 1. *Ludibria* (de quibus etiam in 1. Cor. 4. 9, 12.) propter denunciationem *παρελωθείας*, quibus ferè adductus, ut ab officio destiterit, nisi inde retractus consideratione vocationis suae ad docendi ministerium, quae instinctu quodam divino quasi ignis exæstuans plaususque in ossibus; Tanta nimirum vis est ac virtus *legitimae vocationis*, quae vel ob unicam hanc causam summè experenda. 2. *omnis generis convicia*. 3. *Minæ*. 4. *Falsa accusationes & insidiæ hostiles*, attestantibus propriis auditorum vocibus, quae per *mimesin* recitantur. E quibus omnibus meridiano sole clariùs enitescit, præsentem textum à Zwinglio-Calvinianis planè ἀπεροκόπως, & per insignem Elenchi ignorationem detorqveri ad confirmationem illius blasphemiae, quae DEUM peccatorum causam esse contendunt; Quem errorem prodigiosum peculiari homilia accuratè refutavit Basilius Tit. homil. est: ὅτι τῶν κλητῶν ἀίλιον, ἄν ἐστὶν ὁ Θεός.

In 2. parte consolatur se adversus hostiles auditorum conatus. *partim* præsentia & auxilio DEI, quem bellatorem fortem appellat, opponens ipsum ex adverso quasi suorum hostium agmini; *partim* interitum hostium cum aeternâ ignominia conjuncto. Et talis esse solet hostium Ecclesiae & ministrorum ejus interitus, autore fortissimo & invictio illo bellatore DEO.

In 3. parte implorat *Vindictam DEI* triplici argumento, quorum (1) sumit à DEI *omniscientia* (2) ab ejus *justitia*, cui causam commendat suam. (3) à *gloria Dei*, ad quam celebrandam se & Ecclesiam universam exhortatur. Aque hæc sanè Prophetæ precatio non è *carnali affectu*; sed ex *heroico potius zelo* ac spiritu profecta, æstimanda est: alias vindicta non appetenda, sed DEO soli ejusque ministris ac magistratui legitimo relinquenda, unde & prohibita Levit. 19, 18. Deuter. 32, 35. Jud. 8, 20. & 16, 20. Ps. 7, 7. & 9, 13. Exempla eorum, qui vindictam suam DEO, commiserunt, passim sunt obvia in S. literis, ut hinc Jeremiae, itemque Josephi Gen. 50, 19. Davidis 2. Sam. 16, 10. & 19, 22. Christi Esa. 53, 7. Luc. 23, 24. Stephani Act. 7, 60. Et tantum de *querela*. Execratio

v. 7.

v. 8.

9.

v. 9.

v. 10.

v. 11.

v. 12.

v. 13.

Vindicta.